

nullo enim statu hominis, & casu potest verificari, quod liceat odio habere Deum, blasphemare, & hujusmodi, ergo &c. antecedens est clarum, quia ratio v. g. blasphemie est semper intrinsece mala in quocumque statu, & casu, uti supponitur; sed ratio blasphemie non separatur nequidem intentionaliter, ergo nec ratio malitiae. Minor est evidens, nam dicit ille, blasphemare, si licet, & in hoc obiecto delectatur, ergo delectatio tendit in rationem blasphemie ut substantem illi pro omni statu, & casu impossibili conditioni si licet; & consequenter ratio blasphemie non separatur nequidem intentionaliter; adeoque voluntas adhuc actuali suo affectu, & delectatione fertur in rem moraliter malam, & sic adhuc peccabit mortaliter, ac si conditio nulla apposita fuisset. Hinc a fortiori erit peccaminosa delectatio, vel desiderium de rebus quibusvis malis sub aliqua conditione, quae quamvis a parte rei purificaretur, & poneretur, nullo modo auferret malitiam actus, ut fit in his: Si non esset infernus, occiderem talem hominem; Si non essem Religiosus, fornicarer; Si volare possem, raperem gemmam, & hujusmodi. Est communissima. Et ratio est, quia tales condiciones relinquunt adhuc totam malitiam in similibus delectationibus, vel desideriis; quamvis enim non esset infernus; esset adhuc mihi illicitum furtum, & rapina; adeoque delectatio, vel desiderium de talibus actibus sic conditionatis retinet, & habent adhuc eandem malitiam ac si talis conditio non fuisset apposita.

Delectatio morosa de re materialiter tantum mala v. g. de pollutione, fornicatione, adulterio, homicidio, & hujusmodi factis sine culpa in somno, ebrietate, amnesia, ex ignorantia, vel errore invincibili, est peccaminosa, sicut sunt tales res in se. Est communis, & certa. Et ratio est, quia tales res, seu actiones sunt in se peccaminosae; quod autem non fuerint peccaminosae formaliter, ideo est, quia non fuerint voluntariae, ergo si nunc accedat voluntas tales actiones approbans, vel de illis gaudens, & delectans, talis delectatio voluntaria erit peccaminosa, sicut tales res, & actiones sunt peccaminosae in se. Licita tamen est talis delectatio, si fiat de ipsis rebus, seu actionibus sub aliqua ratione boni: ut si quis evigilans, comperta pollutione, exulter, quod in somno facta sit sine culpa, & non in vigilia, quia vigilans naturae motu forte cecidisset, & peccasset; hoc enim sanctissimum est, quia sic idem est, ac delectari, & gaudere quod ea pollutione non peccaverit. Sic etiam licita est delectatio de ejusmodi re materialiter mala, quatenus causa fuit alicujus boni effectus secuti, ut quod ex pollutione involuntaria in somno secuta, cessarit tentatio, vel infirmitas; quod ex homicidio inculpabiliter facti, obvenit hereditas, & hujusmodi; Et ratio est, quia talis delectatio, vel gaudium nullo modo tendit in obiectum, ut malum est, sed potius in ipsam effectum bonum secutum, scilicet in cessationem tentationis, vel infirmitatis, & respective in consecutionem hereditatis, ut ex communi docent Sanchez lib. 1. Moral. cap. 2. num. 18. Vasquez 1. 2. disp. 115. cap. 3. Lessius lib. 4. cap. 3. n. 240. Lugo de poenit. disp. 16. num. 389. Bonacina de matrimon. disp. 3. quest. 8. num. 8. Sporer tom. 1. tract. 1. proem. c. 7. num. 33. & alii passim. Si tamen delectatio, gaudium, vel affectus animi tenderet in ipsam rem, utique non liceret, ut constat ex propositione 15. in ordine merito damnata ab Innocentio XI. die 2. Mart. 1679. ibi: "Licet utrum sit filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas."

Desiderare rem materialiter tantum malam, ut fornicationem, homicidium faciendum in somno, ebrietate, ignorantia invincibili &c. est peccatum mortale ejusdem speciei cum actu desiderato. Est communis. Et ratio est, quia tale desiderium deliberatè, ac voluntariè tendit in obiectum ex natura sua simpliciter malum, ac peccatum mortale; & quod formaliter non sit tale, est solum quia non est voluntarium, ac deliberatum, sed hæc causæ excusans peccatum ipso opere, nempe involuntarietas, & indeliberatio, minime reperitur in ipso desiderio, quod ut supponitur, est absolute voluntarium, & deliberatum, ergo tale desiderium est peccatum mortale

ejusdem speciei cum actu, seu opere desiderato, adeoque cum hujusmodi desiderium verè, formaliter, & intrinsece sit malum, nullo etiam fine bono coonestari poterit. Non enim quis audebit dicere, quod ad aliquem bonum finem liceat desiderare, & velle homicidium, fornicationem, vel adulterium committere in ebrietate, & hujusmodi; Unde merito ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. damnata fuit sequens propositio 12. in ordine, ibi: "Licet utrum sit absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas." Licet tamen est desiderio, vel affectu simplici, & inefficaci optare, ut pollutio mere naturalis, & omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem, v. g. tentationis sedandæ, vel sanitatis recuperandæ. Ita Navarr. cap. 16. num. 7. 8. 9. cum plurimis ibi citatis. Lessius lib. 4. cap. 3. num. 140. Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 3. d. num. 18. Vasquez 1. 2. disp. 115. cap. 3. Tanerius de peccat. dist. 4. q. 8. n. 125. Platell. de peccat. num. 244. Sporer tom. 1. tractat. 1. cap. 6. num. 34. La Croix lib. 3. part. 1. num. 932. & alii magis communiter. Et ratio est, quia pollutio mere naturaliter eveniens est naturalis evacuatio corporis, sicut est emissio sudoris, vel aliorum superfluum excrementorum, adeoque licitum est affectu simplici, & inefficaci optare, ut talis pollutio mere naturalis, & omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem.

Nec valet dicere, quod sicuti non licet affectu inefficaci desiderare mortem alterius ex propositione 13. in ordine damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. "Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tritari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed pro aliquod temporale emolumentum;" ita neque affectu inefficaci desiderare talem merè naturalem pollutionem. Non valet, inquam, quia ideo non licet neque affectu inefficaci desiderare mortem alterius, quia est gravissimum malum physicum subjecti, quod desiderare alteri non permittit charitas, nisi propter causam proportionatam, qualis esset spiritualis utilitas subjecti (ut si pater desideraret mortem filii nunc in gratia Dei existentis, qui alter certo prævidetur futurus improbus) vel temporalis utilitas communitatis, quæ alter haberi non possit (ut si Christianus optet mortem Turcæ potius, quam ut ecclesiam, vel imperium romanum vincat) non autem privata hereditas obventura, quæ non est causa proportionata, & sufficiens, ut possit quis optare, vel gaudere de morte patris, aut alterius juxta propositiones 13. 14. 15. damnatas ab Innocentio XI. & supra sub num. 18. 19. & 21. relatas. Et contra vero talis pollutio mere naturalis, & omnino involuntaria secundum Sanchez de matrimonio lib. 9. dist. 45. num. 14. & alii passim, non est malum ne physicum quidem subjecti, vel prolis, vel communitatis, cum tale semen sit quid superfluum, quo se exonerat natura, adeoque licitum est desiderio, vel affectu simplici, & inefficaci optare, ut pollutio mere naturalis, & omnino involuntaria eveniat in somno ob aliquem bonum finem; dummodo tamen caveatur, ne illud desiderium sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, & probabiliter credatur fore causa ipsius pollutionis, quia tunc tale desiderium esset illicitum, ex quo talis pollutio non esset evacuatio mere naturalis, & involuntaria, sed moralis, volita, seu procurata.

Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentis, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale; Lessius lib. 4. cap. 3. dist. 1. Sanchez lib. 1. moral. cap. 3. d. num. 18. Diana part. 2. tract. 3. miscellan. resolut. 26. Sporer tom. 1. cap. 6. num. 43. Filiucius, Bonacina, Busenbaum, & alii passim. Et ratio est, quia status matrimonii hanc delectationem excusat, uti etiam aspectus, colloquia, oscula, amplexus, & tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos, hæc enim tendunt per se ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur, & quibus licitum est finis, etiam media ad illum finem naturaliter disposita licita esse debent; Unde si prædicta fiant ad honestum finem, v. g. præ-

paratandi ad copulam, aut etiam amorem conjugalem contestandi, omni prorsus culpa vacabunt. Si vero fiant absque animo copulandi, solius morosæ delectationis gratia, culpam venialem continent, tanquam excessus in re aliis licita. Immo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula altero conjuge absente cogitans in re cogitatio morosæ delectetur; S. Antonin. part. 2. tit. 5. cap. 1. §. 6. Cajetan. verb. Delectatio morosa. 6. Tertium est, Pauldanus in 3. dist. 9. quest. 3. art. 1. Vasquez disputat. 113. cap. 2. Medina quest. 74. art. 8. Sanchez lib. 9. de matrimon. disputat. 44. num. 4. Sporer loc. cit. num. 43. Layman lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 12. & 14. & alii plures. Et ratio est, quia mortalis malitia delectationis morosæ sumenda est ex malitia obiecti, sive rei cogitatur; copula autem maritalis malitiam non habet, cum sit ab intrinseco licita conjugibus, & per accidens solum ab extrinseco, nempe ob absentiam, vel simile impedimentum, tunc nequeat exerceri; adeoque de eo morosæ delectari in absentia alterius conjugis non est peccatum mortale. Est tamen peccatum veniale, ut inquit Cajetanus, cum nec necessitas, nec pietas talem delectationem excuset. Peccat autem semper mortaliter conjux dum in actu conjugali cum propria conjuge morosæ delectatur in imaginatione alterius personæ sibi mentaliter confictæ, quasi præsentis loco conjugis; est enim obiectum hic & nunc tali conjugi mortaliter illicitum; sic Delt. comm.

Delectatio morosa venerea, & directe voluntaria, tam ex culpa futura cogitata, quam ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinosis, est sponis prohibita sub mortali, Navarrus cap. 16. num. 9. Layman loc. cit. num. 13. Sporer loc. cit. num. 41. Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 47. concl. 1. cum pluribus aliis. Et ratio est, quia delectatio venerea tendit in copulam, ut præsentem & pollutionem reipsa inchoat, sed copula est sponis pro eo statu adhuc mortaliter illicita, ergo & delectatio venerea sensibilis. Oscula autem, tactus, & amplexus non impudici licite sunt inter sponso, quando sunt secundum consuetudinem patrie in signum benevolentie, ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium, quamvis præter intentionem, & secluso periculo consensus, sequeretur commotio nonnulla sensibilis; Navarrus cap. 16. num. 12. Galer. tom. 1. tract. 10. num. 671. Perez disp. 6. num. 4. Sporer loc. cit. num. 41. Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 46. num. 47. cum multis aliis.

Tuta esse non videtur opinio afferens licita oscula, licitosque tactus, & amplexus inter sponso, ad sibi mutuo conciliandum amorem, atque in benevolentie signum præsertim si timeatur aliqua sensibilis commotio, ac delectatio. Arduum sane esset in talibus circumstantiis declinare periculum consensus, & delectationis, unde turissimum est monere sponso, ut a similibus abstineant actionibus. Sane sensibilis in membris commotio cogitationem secum ferre solet mentis, & cogitatio delectationem, & quamquam non repugnet dari motionem sine delectatione, tamen ob maximum connexionem, quæ inter utramque intercedit, illicitum est sese exponere periculo excitandi motionem ipsam sensibilem per tactus, amplexus, &c.

Cavendum tamen est, ne in istis osculis, tactibus, & amplexibus habeatur illa delectatio carnalis, & sensibilis, quæ merito fuit damnata ab Alexandro VII. 18. Martii 1666. in propositione 40. in ordine ibi: "Est probabilis opinio quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consentientis, & pollutionis." Videtur mortaliter peccant, si voluntariè consentiant in motum delectationis sensitivæ, quæ ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur; Est communis cum Sanchez cit. disput. 47. concl. ultim. Sa verb. Luxuria num. 12. Navarr. cap. 16. num. 9. & 10. Silvester verb. Delectatio quest. 3. Sporer loc. cit. num. 42. Layman loc. cit. num. 13. Et ratio est, quia viduis non est amplius licita, immo nec possibilis illa copula delectabilis, adeoque nec licita erit actualis delectatio venerea, & sensibilis de ipsa.

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. III.

Non valet dicere, quod sicut licet conjugibus delectari sensibiliter de copula præterita, & futura, ita debet licere viduis de præterita, & sponis de futura; Non valet, inquam, quia non currit paritas; conjugibus enim semper licita est copula, & ideo etiam delectatio ejus, at sponis pro eo statu nondum licet copula, quamvis post contractum matrimonium sit eis licita; Et sic viduis non amplius licet copula, quamvis pro tempore sui matrimonii eis licuerit; adeoque cum non eis sit licita copula, nec eis erit licita venerea, & sensibilis delectatio de ipsa. Licita tamen est eis delectatio rationalis.

Censere omnem vel rationalem delectationem tum sponis de copula futura, tum viduis de præterita illicitam esse. Vix enim fieri posse intelligo ut rationalis ita excitetur in mentem delectatio, quin mens ipsa in aliquem consensum labatur, ac delectationem reipsa experiat sensibiliter. Mente facili negotio res istiusmodi distinguimus, ac discernimus, at dum unam ex istis actu experimus, vix possumus mentem continere, quin in aliam quoque excurret. Quamobrem delectatio illa, quæ rationalis appellatur, nimirum periculosa & Confessarii munus esse putarem, ut sponso, viduasque moneret, ne talibus licet rationalibus delectationibus se ullo unquam tempore capi permitant.

Possunt enim viduæ habere gaudium, approbationem, ac delectationem rationalem tantum voluntatis de copula præterita, & delectationem annexa; cum enim licita eis fuerit illa copula, & delectatio, non tenentur illam modo reprobare, vel detestari, ut omnes concedunt. Sic sponi possunt habere desiderium, gaudium, & delectationem rationalem de copula futura, ejusque delectatione capiendâ; cum enim ex ipsis sponsalibus contractis talis copula, & delectatio aliquando futura sit eis licita, non tenentur eam aversari, vel de ea mistari; sed licite possunt de ea delectari delectatione rationali, dummodo caveant, ne capiant delectationem veneream sensibilem, & se exponant periculo consensus turpis, aut pollutionis; Sanchez cit. disp. 47. Sporer loc. cit. num. 41. Diana part. 3. tract. 5. resol. 2. & alii passim.

DELEGARE, DELEGATUS.

SUMMARIUM.

1. Delegare quid sit, ad num. 2.
2. Judex delegatus quis sit, & quando ad Ordinario deferat, ad num. 4.
3. Judicium delegatum quæ species, & quæ, ad num. 12.
4. Qui delegare possint, & a quibus delegatis subdelegatio fieri permittatur, ad num. 25.
5. Judices delegati qui esse, ac compelli ad delegatorem accipiendam, possint vel non, ad num. 41.
6. Delegati jurisdictione, & effectum quando expirat, ac utrum delegato à delegante revocari possit, ad numer. 62.
7. Subdelegantur Additiones ex aliena manu, ad num. 75.

DELEGARE est mandare, & committere; leg. 32. §. Quasi de arbit. l. 3. §. Quamvis, de administr. tutor. l. 1. de damn. infest. Et prout habetur in leg. Delegare ff. de notation. §. in leg. Nescimus 2. ff. de re judic. Delegare est alium in locum suum sufficere, v. g. si Titius, qui meus debitor est, debitorem suum Cajum substituat, ut pro ipso mihi solvat, dicitur is debitor delegatus à Titio delegante; leg. Si Titius 33. ff. de notationibus. Inde veniunt Judices delegati, id est suppositi, & suffecti à Principe vel Judice ordinario, ut loco Principis audiant causas. Unde Judex delegatus (qui extraordinarius appellatur, cap. De cetero, de transactionib.) est cui causa judicialis concessa est alterius vice, & auctoritate cognoscenda, ita ut jurisdictionem habeat derivatam à committentis jurisdictione, ut desumitur ex leg. 1. §. Qui mandatum, ff. de offic. ejus cui mandata est jurisdictio. Judex delegatus in eo differt à Judice ordinario, quod is propriam jurisdictionem habere censetur; ideoque suo jure

causas cognoscere, ac definire possit, *leg. More 5. junct. gloss. verb.* Sub jure *ff. de jurisdictione*. Iudex autem delegatus non suo jure, sed alieno utitur; *cir. lib. 1. §. Qui mandatum, ff. de officio ejus qui mandata est jurisdictione.*

(Super delegationis certitudine, dum alius in debitoris locum fuerit successus, videatur *lex 16. tit. 20. lib. 3. For. Reg. 10. tit. 4. 15. tit. 14. p. 5.* quæ quidem per extensum, *verb.* Transactio in *tertia add. hisp.* reperitur, ubi denotatur quando per novationem tollitur obligatio. Circa delegatorum judicium creationem *lex 1. 17. 18. 19. §. 20. tit. 4. p. 3. 2. tit. 23. ejusd. p. 3. tit. 9. lib. 3. tit. 20. lib. 8. Recop. Catal. Ad rem tit. 15. lib. 5. præcipue lex 32. tit. 17. lex 18. tit. 3. lib. 2. 7. tit. 1. lib. 7. Ind. ubi proponitur, quis sit delegatus: à quo debet nominari: usque quo ejus jurisdictione extenditur: an subdelegare is possit discrimen si à Rege aliore delegationem accipiat; assignatur, quæ in prædictis legibus decernuntur, fere conveniunt cum doctrina Auctoris sup. adnotata usque ad num. infra 25. exclusivè. *Vide verb. Arbitr. in add. hispan.*)*

Delegatorum variz sunt species, seu divisiones. Primo, alii sunt delegati à jure, & alii ab homine. Delegati à jure sunt, qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis; ut patet in *cap. Ad abolendam 9. §. final. de heretico*, ubi facultas procedendi contra exemptos in causa heresis datur Episcopis tamquam à Sede Apostolica delegatis, ibi: "In his, quæ sunt contra hereticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte tamquam à Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegia) obsequantur." Sic etiam patet in *cap. Irrefragabili 13. §.* Ceterum *de offic. ordinari.* ibi: "Tamquam super hoc delegatus à nobis;" & in *Clement. 1. de supplend. negligent. Prælator. in ex. cap. 1. 1. 5. de reformation. ibi:* "Officium sit Episcoporum tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum;" & alibi sæpius. Nec potest dici, quod si talis jurisdictione procedit à jure, ipsa sit ordinaria, & non delegata; non valet, inquam, quia non obstante, quod talis jurisdictione procedat à jure communi, adhuc remanet jurisdictione delegata, cum committitur ipsis Episcopis, non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis, seu delegationis, ut ipsummet nomen, *tamquam delegatus Sedis Apostolicæ*, importat, & ut amplius à sensu contrario desumitur *ex cap. Licet in corrigendis 12. de offic. ordinari.* ibi: "Ab Episcopo non tamquam delegato, sed tamquam ordinario faciendis." Et sic tenent in specie *gloss. ult. in dist. cap. Ad abolendam 9. de hereticis, gloss. 2. in c. Per hoc, eod. tit. in 6. gloss. in cap. 1. de Clesio ægratant. verb.* Auctoritate, & utrobique Doctores, Abbas *num. 14. & ibidem Marian. num. 14. & à num. 36.*

7 in *dist. cap. Ad abolendam*. Pavin. *de potest. cap. part. 1. quest. 10. num. 3.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit. 29. n. 35.* Barbosa *de offic. & potestate Episcoporum. part. 3. allegat. 92. num. 3.* cum pluribus aliis ibi citatis. Qui insuper addunt, clausulæ hujus tamquam *Sedis Apostolicæ delegatus* istum esse effectum, nempe quod in eo casu non fiat appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, prout alias fieri posset, sed solummodo ad Summum Pontificem tamquam à delegato ad delegantem, prout etiam tradit *gloss. in dist. cap. Licet in corrigendis 12. de offic. Ordinari.* *verb.*

8 tamquam delegatus. Delegati ab homine illi sunt, & ideo sic dicuntur, quia delegationem suam immediate habent ab homine, seu à Judice, vel Magistratu ordinario, ut sunt delegati specialiter à Papa, ab Imperatore, à Regibus, aut aliis supremis Principibus, vel Magistratibus. (*Vide add. hisp. verb.* Inquisitionis tribunal.)

9 Secundo, alii sunt delegati ad universitatem causarum, & alii ad causam solummodo particularem. Delegati ad universitatem causarum sunt illi, quibus omnibus universis causæ, vel saltem certum genus cau-

sarum v. g. matrimonialium, mutui, decimarum, & hujusmodi, sunt commissæ, quamvis cum restrictione ad certum tempus, vel locorum, vel quantitatem, ut si v. g. alicui committantur omnes causæ decimales cognoscendæ ad triennium, vel in tali territorio tantum, vel quæ non excedunt valorem viginti aureorum; Bartolus in *l. Legatus 11. in 4. ff. de offic. Proconul. Pirhing. lib. 1. decret. tit. 29. num. 2.* Reiffenstuel *ibidem num. 31.* & alii passim. Delegati ad causam solummodo particularem sunt illi, quibus una tantum causa particularis hic & nunc emergens dijudicanda, & terminanda committitur; Reiffenstuel *loc. cit.* & alii. Tercio, alii sunt delegati ratione dignitatis, quam obtinent, ut si fiat delegato Episcopo v. g. Alexandrino, Abbati cujusdam certæ, & determinati monasterii, non expresso nomine personæ delegatæ, *cap. Quoniam 24. de offic. & potest. iudicis delegat.* Et alii sunt delegati ratione personæ suæ, & non dignitatis, ut si expresso nomine proprio fiat delegato Francisco Ferrerio, vel Antonio Molinario; Reiffenstuel *loc. cit.* & alii. Quarto, alii sunt delegati, quibus primo loco delegata, seu demandata fuit jurisdictione; Alii vero subdelegati, qui ab ipsis primo loco delegatis iterum delegantur; Tolosan. *partitio. Jur. Canonie lib. 5. cap. 2. Pirhing. loc. cit. num. 2. in fin.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 39.* & alii passim.

Delegare possunt, seu potestatem delegandi habent non solum Principes Supremi, ut Papa, Imperator, Rex, Respublica libera, alique suprema jurisdictione, & dominio gaudentes, sed etiam omnes Judices seu Magistratus Ordinarii; Colligitur *ex cap. Cum Episcopus 7. de offic. Judic. Ordin. in 6.* ibi: *Per se, vel per alium; l. More Majorum 6. l. Solet 16. de juris. omnium iudicium.* Et ratio est, quia omnis iudex ordinarius habet propriam jurisdictionem, & non tantum fungitur iudicandi munere vice alterius; adeoque jurisdictione sibi competente jure proprio, vel per se, vel per alium ut potest, quod enim potest facere per se ipsum, potest etiam per alium; *Reg. 72. Juris in 6. lib. 1. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Iudex tamen ordinarius non potest totam suam jurisdictionem alteri delegare, sive totum officium suum alteri committere sine sui Supremi Principis consensu; Felinus in *capit. Super Questionum 27. §. Si vero num. 17. de offic. & potest. iudic. deleg. Sanchez. lib. 3. de Matr. disput. 31. num. 11.* Maranta *p. 4. specul. dist. 5. num. 55.* Pirhing *loc. cit. num. 3.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 56.* & alii. Et ratio est, quia delegando alteri totam suam jurisdictionem, seu totum suum officium ipsi committendo, non tam censeretur delegare, quam omnino abdicare se jurisdictione, seu officio suo ordinario, quod nequit fieri sine consensu Principis; *l. pen. cum gloss. ibi: verb.* Abdicando, *ff. de offic. Præsid.* Tum quia Iudex inferior Principe nequit propria auctoritate loco sui alium Iudicem ordinarium constituere, hoc enim est singulare privilegium competens solummodo Principi suprema potestate, & jurisdictione gaudenti; *l. 2. Feud. tit. 56. Quæ sint Regalia, c. unico. & colligitur ex cap. A Jud. 33. caus. 2. quest. 6.* sed hoc faceret delegando alteri totam suam jurisdictionem, seu ei totum suum officium committendo, ergo, &c. Sic Pirhing. & Reiffenstuel *loc. cit.* & alii.

Delegatus ab alio quam à Principe non potest causam alteri subdelegare, Ita *gloss. in cap. Causam 62. verb. delegatus, de Appell. & ibi Abbas, num. 3.* Fagnan. *num. 2.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 57. et 48.* & communis aliorum. Habentur etiam in *cap. Cum causam 62. de appell. ibi:* "Cum non nisi delegatus à Principe causam valeat alibi delegare;" ex quibus verbis aperte dignoscitur, quod delegatus ab aliquo, qui non sit Supremus Princeps, est penitus exclusus, cum non nisi delegato Principis hac potestas competere dignoscatur. Et ratio est, quia si quilibet delegatus causam alteri sub-

subdelegare posset, hic etiam posset iterum delegare tertio, & iste quarto, & sic daretur processus in infinitum, quæ infinitas à jure expresse reprobat; *cap. Cum in multis 2. de rescript. in 6. ibi:* "Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur;" & sæpe alibi, ut exemplificat *gloss. ibi. verb.* Multis. Potest autem talis delegatus alterum subdelegare, si sit delegatus ad universitatem causarum. *Est Communis, ut testatur Bartolus in l. More Majorum 5. num. 11. ff. de Jurisd. omn. Jud. & tenent expresse Hostiensis in citat. cap. Cum causam 62. de appell. num. 3. & ibi Joan. Andr. num. 6. & Barbosa num. 5. Fagnan. num. 2. Butrius num. 11. & alii passim: & desumitur ex l. Cum Prætor §. 1. ff. de iudicis, ibi:* "Is quoque, cui mandata est jurisdictio, iudicem dare potest" ut sunt Legati Proconsulum, ubi *ly mandata est jurisdictio* debet accipi proprie, seu pro ea, quæ datur ad universitatem causarum, ex *glossa in l. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio, verb.* Qui mandata, ubi expresse dicit "Jurisdictionem mandari, quando universitas, sed delegari, quando species una committitur." Et ratio est, quia delegatus ad universitatem causarum quasi Ordinarius videtur, ut notat *Glossa in d. c. Cum causam 62. verb. delegatus, de appellat. & ibi Fagnanus num. 4.* cum variis aliis; atque æquiparatur ordinario; *arg. l. ult. §. fin. C. ubi, & apud quem, & tenet Glossa in l. ult. vers. Cum specialis, C. de iudicis; Immo Glossa in cap. Statutum, §. Insuper in verb. Moderatas, de rescriptis in 6. appellat. cum ordinarius, sicut etiam sic eum appellat Speculator in tit. de off. Ordin. num. 2. Petr. de Ancharan. in cap. Licet undique col. 2. ad finem, vers. Nec mirum, de off. delegat. & alii cum Fagnan. l. cit. n. 4. §. 6. adeoque ad instar iudicis ordinarii poterit subdelegare unam, vel alteram causam, quia delegatus ad universitatem causarum, cum remaneat in essentia jurisdictionis universalis, idem potest quod ordinarius, ut dicit Baldus in l. si ut proponit, num. 10. C. quomodo, & quando Jud. & Fagnan. l. c. num. 5.*

18 Delegatus à Principe suprema potestate, & dominio gaudente potest alteri causam subdelegare; c. si pro debilitate 3. *cap. Pastoralis 28. de off. & potest. Jud. Delegat. cap. Cum causam 62. de appellat.* ubi expresse dicitur: *Cum non nisi delegatus à Principe causam alii valeat delegare, & l. A Judice, C. de iudicis.* Dummodo tamen causæ non sint adeo graves, ut sine ipsis delegati presentia nequeant commodè terminari; c. si pro debilitate 3. *de offic. & potest. Jud. deleg. pro causis enim tam gravibus præsumitur electa à Principe industria personalis, & specialis fides ipsius personæ delegatæ; textu expresso in cap. Quoniam, de off. Jud. Deleg. §. Is autem, ibi:* "Cum in his omnibus casibus industria, & fides personæ, cui talia committimus, eligere videamur." Sic etiam dicendum venit, quando delegatus per se, vel suis manibus, causam expedire jussus fuit, quia tunc censetur electa præcisè industria, & fides solius talis personæ delegatæ; *l. un. §. Ne autem, vers. sin vero talis, C. de caduc. tollend.* Quæ specialis industria, & fides personæ delegatæ censetur etiam electa, cum in delegatione ponitur clausula: *Confidenter de industria, seu circumspectione tua, & hujusmodi.* Sic Abbas in c. Quoniam 14. num. 8. *de offic. & potest. Jud. Deleg. Mascard. de probat. conclus. 595. n. 4.* Menoch. *de presumptionibus, lib. 2. præsumpt. 42. num. 7.* Sperell. *dec. 116. fori ecclesiari. num. 56.* Partibus tamen consentientibus potest fieri subdelegatio, licet fuerit electa industria, & fides personæ delegatæ, textu expresso in cap. Quoniam 4. *de off. & potest. Jud. delegat. §. Is autem, ibi:* *Is autem, cui injungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc alii delegare.* Delegatus Principis non potest alterum subdelegare, si ipsi non jurisdictione, sed nudum ministerium, seu mera executio à Principe sit commissæ, adeoque merus executor sit constitutus, textu expresso in *cap. Quoniam 43. de off. delegat. §. Ceterum, ibi:* *Ceterum (salva Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit predicare Crucem (pro recuperatione Terræ sanctæ) excommuni-*

care, vel absolute aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere poenitentias, liceat hæc de cetero aliis demandare, quia non sibi jurisdictione, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.

Hinc habes, cur Confessarii Regulares, quibus ex 24 privilegio Summi Pontificis concessa, & demandata est facultas fideles omnes absolviendi à peccatis, & censuris, & cum iis dispensandi in votis, vel ea commutandi, talem facultatem nequeant alteri subdelegare; quia nimirum ipsis Regularibus Confessariis simplex, & nuda jurisdictione ad certum exercitium absolviendi à peccatis, & censuris, dispensandi in certis votis, & irregularitatibus, & non integrum officium jurisdictionis committitur; Is enim, cui non officium, sed nudum ministerium, seu simplex jurisdictione in ordine ad certos actus committitur, alteri subdelegare non potest sine speciali licentia committentis; *ex cit. cap. Quoniam 43. de offic. deleg. §. Ceterum, & glossa ibi.* ut recte notavit Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 41.* Coninch. *disp. 8. dub. 4. num. 25.* Pirhing *lib. 2. decret. tit. 29. num. 25.* Gobat *tom. 1. tract. 7. num. 100.*

Delegari, seu esse Judices delegati possunt generaliter loquendo omnes illi, qui nec natura, nec lege, nec moribus prohibentur; *l. cum Prætor, ff. de iudicis, & cap. infamis 1. caus. 3. q. 7.* ubi statuitur expresse, quod Judices dari nequeant omnes illi, qui nec Judices sint, impediuntur 1. Natura, ut surdi, muti, perpetuo amentes, & impuberes, quia tales carent iudicio; 2. Lege, ut infames, & à Senatu amoti; 3. Moribus, ut servi, & fœminæ; nam moribus, seu longæva consuetudine receptum est, ut civilibus non fungantur officiis, ibi: "Tria sunt, quibus aliqui impediuntur, ut Judices non fiant, Natura, ut surdus, & mutus, & qui perpetuus furiscus est, & impuber, quia iudicio caret; Lege, qui à Senatu amotus est; Moribus, fœminæ, & servi, non quia non habeant iudicium, sed quia præceptum est, ut civilibus non fungantur officiis." Unde ad hoc faciunt sequentes versiculi ab Hostiensis relati in summa *de offic. & potest. Jud. Deleg. num. 3.* ibi:

*Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama.
Ætas, qui subest, committitur huic bene causa.*

(*Vid. leg. 4. §. tit. 4. part. 3. leg. 1. 2. 3. 4. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. leg. 1. 7. 8. tit. 9. lib. 3. Recop. Cast.* in quibus eadem causæ, esse Judices impediendes, demonstrantur; *legum 18. usque ad 23. inclusive tit. 9. p. 2.* ne obliuiscaris.)

Ex quibus clare patent conditiones in Judice delegato requisitæ. Et solum notandum venit, quod licet per *ly qui subest*, detur intelligi, quod non possit delegari invitus, nisi qui de jurisdictione delegantis est; *cap. Pastoralis 11. de offic. Ordin.* tamen per hoc non negatur, quin Iudex ordinarius possit causas suas delegare etiam non subdito, qui non est subiectus jurisdictioni delegantis; sufficit enim, quod causa pertineat ad jurisdictionem delegantis, licet is, cui talis causa delegatur, non sit de jurisdictione ipsius; *arg. l. unic. C. qui pro sua Jurisdic. Jud. dare; juncta glossa ibi. verb.* Resedissent, *cit. c. Pastoralis 11. de offic. ordinari.* & 27 *Gloss. ibid. verb.* Nullum, & tenent Doctores commun. Hoc autem discrimen est, quod Iudex ordinarius delegans suum subditum potest ipsum etiam invitum compellere ad acceptandam delegationem, ne alioquin inutilis videatur jurisdictione, ac potestas delegandi competens Judici ordinario, sive delegato Principis supremi, quamvis adhuc ipse delegans in tali coactione deferre debeat personæ, ac dignitati delegandi, ut cavetur in *cap. Pastoralis 28. §. 1. de offic. & potest. Jud. Delegat. ibi:* *Potest compellere remittentem, eo quod jurisdictione illa nullus videretur momenti, si coactionem aliquam non haberet; Delegatus tamen (scilicet Supremi Principis) debet sollicitè providere, ut si personis superioribus, (exigente necessitate) negotium duxerit delegandum, in coactionibus inferendis dignitati deferat, & personæ. Quod 28 si autem Iudex ordinarius deleget non subditum, non*

2 Utrum iudices ordinarii delegare possint, necne? aliquid prænotatur. (1)

(1) Vide verb. Arbitr. lit. m.

potest ipsum invitum compellere, quia præcipiente extra territorium impune non preterit, leg. cum qui 13. *justa glossam, verb. Magistratum, & l. ult. ff. de iurisd. c. e.* Ut animarum 2. de constitutionibus in 6. ubi sic expresse habetur: Cum extra territorium ius dicenti non preterit impune. Delegatus vero Papæ, ut alterius Supremi Principis potest quemcumque sine justa causa recusantem compellere, ut suscipiat onus delegati, cum gerat vices Papæ, cui omnes Christiani subsumunt; *cit. cap. Pastoralis 28. §. 1. de offic. & potest. judic. delegat. Abbas ibid. num. 7. & alii communiter.*

(Si à Summo Ecclesiæ Præsule, vel altero Supremo Principe fiat delegatio, nemo ambigit, ad acceptationem ejus esse delegatum compellendum; & licet per se pateat, Summum Pontificem in toto orbe christiano Salvatoris nostri esse Vicarium, ac Principem in suo territorio absolutum habere jurisdictionem, per consequens omnes eorum respectu subditi obedire teneantur; nihilominus, utpote clare demonstratur hoc assertum, videatur leg. 3. & 4. tit. 5. p. 1. & tot. tit. 1. p. 2. in mente etiam reineratur hispanica Additio, verb. Forum præsertim vers. Regem Catholicum, & vers. Nemini in dubium, verumtamen, si à iudice ordinario delegatio fieret, (cum mica salis accipere: inspicere add. hisp. verb. Arbitr.) confiteretur per leg. 5. tit. 4. p. 3. 4. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. Iudices ordinarios, dummodo sint quibus causæ committuntur, ætas ad iudicandum necessaria, *vid. add. hispan. verb. Advocatus, & Forum, eos posse, si de territorio fuerint sui jurisdictionis, ad causæ delegatæ cognitionem devincere.*)

99 Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica, vel personatu, aut esse canonicus ecclesiæ cathedralis, *cap. Statutum 2. de Rescriptis, in 6. Aut esse Officialis, seu Vicarius generalis Episcopi, vel Prior Conventualis, Clement. Bisi principalis 2. de Rescriptis, ibi: Erit principalis Officialis Episcopi, aut Religiosus conventus prior obtinens priorem, quamvis ad priorem eundem prior non consecutus per electionem assumi, à Sede Apostolica, vel Legato ejusdem dari valeat delegatus: In Officiali tamen Forano, aut Religioso monasterii sui priore claustrali, neque hoc volumus observari.* Sub nomine prioris conventuales hic veniunt etiam Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, alique omnes quocumque nomine nuncupati Superiores Conventuales Regularium, nam etiam isti censentur esse in dignitate ecclesiastica ad hoc, ut esse possint delegati apostolici; *glossa in c. Nullus, verb. Prælatum, de elect. in 6. Felin, in c. Cum olim num. 1. de Majorit. & obed. Jason, in rubr. ff. de offic. ejus, qui mandata est, jurisdictionis num. 9. Azor. institut. moral. p. 2. lib. 3. c. 20. prope finem, Massob. de Synod. dioc. c. 4. dub. 13. num. 40. Sperell. dec. 167. num. 14. Barbosa p. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. n. 15. Reiffenstuel. l. c. num. 70. Pignatell. Francus, Geminianus, & alii.*

32 Delegatus autem Episcopi, vel alterius inferioris ordinarii potest esse simplex Clericus, quamvis in dignitate non sit constitutus, nec sit Canonicus cathedralis; *glossa in c. Statutum 2. de Rescriptis, in 6. verb. Sedis Apostolicæ; Pirhing lib. 1. decret. tit. 29. num. 33. Reiffenstuel ib. num. 72. arg. c. Cum Episcopus 7. de offic. Ordinarii, in 6. Sic etiam simplex Religiosus cum licentia sui Prælati potest esse delegatus Episcopi, quia in cit. c. Statutum, sermo est de solis delegatis Papæ, vel Legatorum ejus; Sanchez lib. 6. Moral. c. 13. numer. 57. Pirhing loc. cit. num. 33. Ratio autem diversitatis quoad hoc inter delegatum Papæ, & Episcopi est illa, quam recte cum aliis assignat Reiffenstuel loc. cit. num. 73. quia, inquit, Episcopus melius potest cognoscere suorum Clericorum peritiam, & idoneitatem; quam si majorem agnoscat in simplici Clerico, nihil prohibet, quin ipsum præ aliis in dignitate constitutis, vel Canonicis cathedralis, deleget: Secus autem est in Papa, vel ejus Legatis, qui utpote longe distantes nequeunt sic de facili simplicium Clericorum omnium idoneitatem cognoscere: unde expedit, ut illos solos delegent, quos dignitas, vel personatus facit præ*

ceteris supponere idoneos. Hinc Conc. Trid. pro majori cautela statuit in sess. 25. c. 10. de reform. quod quædam tales idoneæ personæ in synodo provinciali designentur, si; "Statuit Sancta Synodus, in singulis conciliis provincialibus, aut diocesanis aliquas personas, quæ qualitates habeant juxta constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit: Statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. (Vid. cit. add. per tot. verb. Forum.)"

Episcopi, alique Papæ inferiores non possunt laico delegare causam spirituales: sic commun. Doctor. Laici enim ecclesiasticam tractare negotia non possunt, cum hæc Episcoporum, aliorumque Prælatorum judicio sint discutienda, textu expresse in cap. Decernimus 1. de iudicis, ibi: Decernimus, ut laici ecclesiasticam tractare negotia non præsumant; sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii ecclesiastici Prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant; concordat c. Cum laici 12. de rebus eccl. non alienand. alique consimiles canones. Immo neque possunt Episcopi causam spirituales, seu ecclesiasticam delegare laico iudicandum una simul cum Clerico; *glossa in c. Contingit 8. de arbit. verb. Spiritualibus; Pirhing loc. cit. num. 34. ubi ex Abbate, & Julio Claro dicit esse communem. Neque delegare possunt laico causam criminalem Clericorum: Est etiam commun. testibus Julio Claro in practica criminali. l. 5. §. fin. q. 41. num. 5. Card. Tuscho lib. D. conclus. 145. num. 13. arg. c. Si diligenti 12. de foro compet. & c. unico de Cler. conjugat. in 6. cum citatis iuribus in num. præced. & aliis concordantibus. Immo neque possunt Episcopi delegare causas criminales Clerico conjugato, quia is regulariter tamquam merus laicus reputatur; Jul. Clarus loc. cit. num. 7. Card. Tuscho. loc. cit. & alii, arg. c. unico de Cleric. conjugat. in 6. Possunt tamen Episcopi probabiliter delegare laicis causas Clericorum merè civiles, ut pecuniarias, & similes: Sic glossa in c. Decernimus 2. de iudicis, verb. Non præsumant, ibi: Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad seculari iudicio attrahere, ubi, ut vides, prohibetur attrahi Clericum ad iudicem secularem solummodo absque Pontificis sui permissu, adeoque argumento à sensu contrario desumpto, proprii Episcopi accedente consensu id videtur permissum; colligitur etiam ex cit. c. Decernimus, ubi, statutum solummodo, ut laici ecclesiasticam tractare negotia non præsumant, adeoque negotia non ecclesiastica tractare possunt, præsertim ex delegatione Episcopi, cum sic illud neutiquam præsumant: Immo prohibito facta ibi Episcopis, ne laicorum judicio disponant de negotiis ecclesiasticis, videtur potissimum restringi ad illa, quæ spiritualia sunt, ibi: Maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio non disponant, adeoque non videtur eis interdicta facultas delegandi laicis causas Clericorum merè civiles, ut pecuniarias, & similes. Vide verbo Tutor num. 27. Fateor tamen, contrariam opinionem non carere sua probabilitate: quinimo Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 29. num. 89. Baldo, & aliis defendit eam ut probabilior, & num. 90. & 91. occurrit iuribus, & objectionibus, quæ in contrarium solent adduci. Et Pignatell. tom. 2. cit. consulti. 45. num. 3. pluribus adductis defendit ut verior, & dicit hanc haberi expresse in cap. Significasti 18. de foro compet. ubi in simili causa civili, nempe de pecunia mutata dicitur, Clericum non posse consentire in iudicem non suum, etiam accedente Episcopi sui voluntate, nisi sit persona ecclesiastica, ibi: Clerici tamen in iudicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica & Episcopi diocesani voluntate accedat) consentire non possunt, & sic expresse propter tale jus etiam sustinet Glossa, ibid. verb. Clerici; Quod jus quia posterius est aliis pro alia sententia adductis; ideo dicit ipse, est attendendum. Eo vel maxime, quod, cum privilegium Fori sit commune toti ordini clericali: sicuti non est in potestate Clerici ei renuntiare: ita non debet esse in potestate singulorum Episcoporum eidem præiudicare per delegationem, vel consensum in iudicem laicum; Immo cum non possint Episcopi neque in causis suis etiam civilibus consentire in iudicem laicum, ex textu expresse in c. Si diligenti 12. de foro compet. ita nec etiam possunt consentire in causis civilibus suorum Clericorum, Quod enim iuris quis pro se non habet, neque pro aliis congruit habere, eademque de causa non possunt facere Episcopi consentiendo in personalem lationem Clerici, quin sit locus privilegio canonis, & excommunicationis, arg. c. Universitatis 24. & cap. Contingit 46. de sent. excom.*

Summus Pontifex ex certa scientia potest non solum causas civiles, & criminales Clericorum, sed etiam quasdam alias ecclesiasticas, seu spirituales delegare alicui laico, v. g. Imperatori, Regi, &c. Sic Glossa in cap. Decernimus 2. de iudicis, verb. Non præsumant, ubi id probat ex pluribus sacris canonibus, & signanter ex c. In Synodo 24. dist. 96. & alia Glossa in cap. Bene quidem 1. dist. 96. communiter ab omnibus recepta, teste Julio Claro in practica criminali. lib. 5. fin. quest. 41. num. 8. & cum plurimis à se citatis; Pignatell. tom. 2. dist. consulti. 45. num. 7. Pirhing loc. cit. num. 34. Reiffenstuel loc. cit. num. 92. & communis aliorum. Idque specialiter concedendum est Summo Pontifici propter plenitudinem sui potestatis, quam habet non solum in ordine ad causas Clericorum, aliasque ecclesiasticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de iure supra jus ipsum; textu expresse in cap. Proposuit 4. de concessione, ibi: Secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra jus dispensare; Et hoc ipsum olim jam factum fuisse legitur in citatis c. Adrianus, cap. In Synodo, & cap. Illud, quia non is, qui jurisdictionem exercet, sed qui præcipit exercendam jus dicere videtur; cap. Ut iam 35. de sent. excommunic. ibi: Cum hoc non ipse, sed illi quorum auctoritate id faciunt, facere videatur. Notanter fuit dictum, posse Summum Pontificem, etiam quasdam alias causas ecclesiasticas, seu spirituales delegare alicui laico, quia non potest Papa tollere Clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes Clericos, omnesque causas ipsorum; Farinacius lib. 1. criminali. lib. 5. §. fin. quest. 41. num. 8. ubi testatur esse hanc communem Doctorum sententiam. Et ratio est, quia ex tali derogatione, seu immutatione decoloraretur universalis status ecclesiæ, contra quem nequit Papa dispensare; arg. cap. Et illa 23. caus. 1. quest. 7. cap. Memor sum 9. caus. 24. quest. 1. & tenent expresse Gloss. adductis multis iuribus in cap. Proposuit 4. de concessione, præbend. vers. Supra jus dispensare; Abbas ib. num. 14. Reiffenstuel l. c. num. 92. & alii passim.

(Per leg. 1. usque ad 5. inclus. tit. 5. p. 1. vid. add. hisp. verb. Beneficium, vers. Nonnumquam: in fin. verb. Forum, vers. Nemini in dubium: demonstrantur gratia, prerogativa, & facultates, quæ Summo Pontifici supra alios prælatos ecclesiasticos, tamquam ecclesiæ Pastori ubique terrarum naturaliter inhaerent: interque alias habere potestatem statuta, ac decreta in honorem ejusdem universalis ecclesiæ, & religionis christianæ commodum, quibus Christicolæ omnes obedientiam præstare debemus, in rebus spiritualibus condendi, atque circa fidei articulos omnes solvendi dubitationes, referuntur; vices Dei in toto orbe christiano circa spiritualia, sicut circa temporalia in suo regno rex, gerit; vid. sup. & leg. 1. tit. 1. part. 2. tit. 6. lib. 1. Recop. Cast. ita ut, quamvis reges, si dignitatem, & imperii potestatem spectet quilibet, nemini leg. 15. in fin. tit. 1. part. 1. subiciantur, Summo Pontifici in spiritualibus obedire teneantur: & omni tempore firmissimi, præstantissimique defensores, tutores, & propugnatores fidei Domini nostri Jesu Christi se prebere debent: in memoriam repete quæ adnotantur verb. Absolvere, in fin. colum. 1. pag. 33. verb. Abbas, pag. 72. col. 2. in fin. verb. Anima, pag. 140. col. 2. post num. 10. verb. Annus probationis, pag. 140. col. 2. verb. Apostasia, pag. 147. col. 1. verb. Apostolus, col. 1. in quibus decisiones inseruntur, curam, quam reges hispanie

versus res spirituales semper habuerunt, ostendentes, cum poenarum assignatione in transgressores; de omnibus per extensum suis in locis necessariarum erit pertere; legere non recuses prologum septem partit. vers. Septenario, per tot. proamium, & leg. 1. tit. 1. p. 1.)

Delegati iudicis officium expirat, & cessat pluribus 42 modis. Primo, morte delegati, si delegatio fuit personalis, seu expresse proprio nomine delegati facta leg. Si quia alicui, §. Morte ff. Mandati: Non enim tunc delegati officium, & jurisdictionis transit ad hæredes leg. Mandatum 57. ff. Mandati, neque ad successorem, quia tunc sequitur personam, & veluti accessorium extinguitur cum persona, cap. Privilegium personale 7. de regul. iuris in 6. ibi: Privilegium personale personam sequitur: cap. Accessorium 42. de reg. iuri. eod. ibi: Accessorium naturam sequi congruit principalis. Secus est dicendum, si delegatio fuit realis, id est facta contemplatione dignitatis, & non personæ, v. g. Episcopo, vel Officiali Alexandrino; nam talis delegatio non expirat morte Episcopi, vel Officialis tunc existentis, sed transit ad successorem in eadem dignitate, vel officio, etiam si res sit adhuc integra; cap. Quoniam 74. de offic. & potest. judic. Delegat. ubi Pontifex confirmat ut justam sententiam latam à quodam Abbate successore alterius Abbatis delegati, & præmortui, addita ratione, ibi: Quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit, & in ejus summario expresse dicitur: Delegatio facta dignitati non expresse nomine proprio transit ad successorem, Et sic Glossa ibid. verb. Substitutum; Abbas num. 2. Barbos. num. 1. & 2. cum communi aliorum; Et ratio est, quia dignitas non moritur, neque variatur per mortem, & variationem personæ; cap. Si gratiose 5. de rescriptis in 6. adeoque successor in tali dignitate causam debet reassumere in terminis, in quibus antea fuerat, eamque, prout iustitia exigit, terminare; leg. Mortuo ff. De iudicis. Secundo cessat officium, & jurisdictionis delegati per mortem delegantis, quando res est adhuc integra, & nondum iudex uti cepit jurisdictionem, secus quando res non est amplius integra, sed causa commissa jam incepta est; cap. Licet undique 30. de offic. delegat. ubi clare deciditur quoad utramque partem, ibi: "Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si jurisdictione à suo sibi collega delegata, eo vivente ut non coeperit, quia mandatum huiusmodi re integra morte mandantis expiravit, non habet solus officium iudicandi. Si vero ante mortem illius jurisdictione uti coeperit, mandata, vices suas, & illius poterit adimplere." concordat cap. Relatum 19. & cap. Gratum 20. de offic. delegat. & cap. Quamvis 6. eod. in 6. & leg. Et quia ff. De iurisdic. omni. judic. Et ratio utriusque partis est, quia per actum delegationis non transit efficaciter jurisdictionis in delegatum, donec is ea uti coeperit; & contra per exercitium jurisdictionis in delegatum, donec is ea uti coeperit; & contra per exercitium jurisdictionis ante mortem delegantis jurisdictionis iudicis efficaciter transit in delegatum, ut clare habetur ex d. cap. Quamvis 6. de offic. delegat. in 6. ibi: Cum jurisdictionis (ex quo ipsa usu non exiit) nunc censetur in eum efficaciter transire. (Conveniunt cum antecedentibus leg. 21. tit. 4. 47. tit. 18. p. 3.)

Ut res non sit amplius integra, & sic perpetuetur 45 jurisdictionis delegata sufficit citatio partis facta per delegatum ante mortem delegantis; cap. Gratum 20. de offic. & potest. jud. Delegat. ubi Urbanus III. super hoc consultus respondit, quod Cum citatione facta negotium sit quasi captum, . . . potest, & debet in causa procedi, concordat cap. Nemini 9. de offic. Legati, ubi dicitur, quod jurisdictionis delegatorum per Legatum Sedis Apostolicæ expiret, si ante huius discessum à provincia sibi commissæ citatione per ipsos facta non processit ibi: Cum jurisdictionis iurorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non processit; Hinc Glossa. ib. verb. Citatio, sic infert: Ergo si citatio processit, valebit commissio post discessum; sic per citationem perpetuatur jurisdictionis; sic cap. Gratum 20. & cap. Licet 30. de offic. Delegat. cap. Proposuit 19. de foro compet. cap. Ut

Utebatur 59. de appellation. cap. Capitulum Sanctæ Crucis 30. de rescript. in quibus dicitur, quod sola citatione sine conventionione prævenitur jurisdictioni aliorum, hucusque citata Glossa. Et ratio est, quia ut perpetuetur, & duret jurisdictioni delegati respectu partium, sufficit, quod res fuerit incepta, & intervenit aliquis actus erga partes, arg. citat. cap. Gratium, cap. Licet, cap. Memini, cap. Proposuiti mox citati; sed per solam citationem incipitur causa, & iudicium, cum ipsa citatio sit primus actus respectu partium, ac jurisdictionis contentio-æ erga eas exercendæ; cap. Quoniam contra 11. §. Statuimus, de probationibus, & c. fin. Institut. de pena temere litigantium, ubi pro primo actu iudicis ponitur citatio; adeoque &c. Immo ad perpetuandam jurisdictionem delegati, sufficit, quod ante mortem delegantis præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit; Ita Gloss. margin. communiter recepta in Clement. 2. Ut lite pendente, Abbas in dict. cap. Gratium num. 3. & ibi Laym. num. 2. Barbosa num. 5. Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 28. num. 13. Pirhing lib. 1. decret. tit. 29. num. 179. Reiffenstuel ib. num. 241. & alii, & colligitur ex dict. cap. Gratium, in quo habentur hæc præcisa verba: Ante obitum delegantis propositio editio... & quod cum citatione facta, negotium sit quasi captum... potest, & debet in causa procedi; ubi, ut vides, non distinguit, an citatio jam pervenerit ad notitiam, nec ne; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; Et ratio est, quia, ut res, seu causa censeatur jam incepta, & non amplius integra, sufficit solus iudicis actus respectu partium, ex cit. cap. Gratium 20. & cap. Licet 30. de offic. iud. delegat. & cit. cap. Quamvis eod. in 6. sed talis actus iudicis jam intervenit per solam citationem a iudice delegato factam, ex dict. cap. Quoniam contra 11. §. Statuimus, de probationibus, & c. fin. de pena temere litigantium, adeoque &c.

47 Contra id tamen solet adduci textus in cap. Relatum 29. de Officio delegat. ubi Lucius III. expressè declarat, quod tunc solus res, seu causa primum desinat esse integra, & perpetuetur jurisdictioni delegati, quando incipitur fieri litis contestatio, ibi: Si vero ante contestationem (delegans) decederit; non est a iudicibus, quos delegaverat huiusmodi procedendum, adeoque ad id non sufficit sola citatio partium a delegato facta. Ad hanc autem objectionem, relictis variis aliis solitis dari responsionibus, respondetur, quod Decretalis Lucii III. in dict. cap. Relatum 19. de offic. delegati fuit quantum ad hoc correctæ per Decretalem Urbani III. in dict. c. Gratium 20. eod. tit. Sic Gloss. in cit. cap. Relatum, verb. Contestata, Tancredus, & Goffredus pro hac sententia citati ab Abbate in dict. cap. Gratium. Decius in dict. cap. Gratium num. 1. Layman ibid. num. 1. Reiffenstuel lib. 1. decret. tit. 3. num. 248. & alii. Ex quo enim (dicit Layman loc. cit.) legibus civilibus non sit satis expressum, an jurisdictioni delegati incepta primum censeatur per litis contestationem, vel potius per ipsam citationem, quia pro utraque parte stant graves auctores; Hinc etiam orta est diversitas Decretalium; nam Lucius III. in dict. cap. Relatum priorem sententiam tamquam tutiorem secutus, respondit ad continuandam, seu perpetuandam delegati jurisdictionem requiri, quod ante mortem delegantis fuerit incepta litis contestatio; Urbanus autem III. immediatus ejus Successor posteriorem sententiam tamquam benigniorem secutus, respondit, ad id sufficere, quod ante mortem delegantis sit facta a delegato partium citatio, cum ut loquitur textus, citatione facta, negotium sit quasi captum.

49 Nec valet dicere quod data hac responsione, admitteretur in dictis duobus Decretalibus immediate in corpore juris se subsequentibus manifesta contrarietas, qualis tamen in volumine ejusdem compilationis (nisi id exprimitur) non est admitenda, cum oporteat, quantum fieri potest, juxta iuribus concordare: cap. Cum expediat 29. de election. in 6. ibi: Cum expediat concordare iura iuribus: & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari. Non valet, inquam: quia non subsistit obiectio allata. Posterior Canon expresse corrigit priorem in eodem compilationis volumine positum, ut c. Exigit 2. &

cap. Felices 3. de censibus in 7. quod simile contigit etiam in nostro presenti casu, si non verbis omnino expressis, saltem ipso facto, cum facto ipso Canon posterior deroget priori, etiam nulla ejus facta mentione, textu expresso in cap. Licet Romanus 2. de Constitutionibus in 6. ibi: Romanus Pontifex, quia jura omnia in scriptis peioris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem (quomodo de ipsa mentionem non faciat) revocare nocetur. Non valet instare, quod si Decretalis in dict. cap. Relatum 19. de Officio delegat. ex toto fuisset correctæ per subsequentem decretalem in dict. cap. Gratium 20. de eodem tit. ipsa non fuisset posita in hac compilatione, utpote per S. Raymundum de Pennafort facta rescatis superfluis, prout testatur Gregorius in Proammium decretalium. Non valet, inquam, quia Decretalis in d. cap. Relatum non revocatur ex toto, sed solum ex parte per Decretalem in d. cap. Gratium, quia etiam prior de facto juvat ad probandum, quod re integra expirat jurisdictioni delegata per mortem delegantis. Nec est superfluum, decisionem questionis adeo controversæ, ac inter Summos quoque Pontifices agitata, propositis diversis sententiis corpori Juris communis inserere; immo videtur valde utile, maxime ut posteri noverint facta priora; cap. Ferunt autem 2. dist. 7.

(Oppositio seu contrarietas in cap. Relatum & Gratium, quæ animadvertitur, eadem inter leg. 21. tit. 4. ac leg. 35. tit. 18. part. 3. oculis subjicitur: in illa officium delegati, si ante litis contestationem mortuus, aut officio delegans fuerit remotus, cessare est decretum: stabilitur in ista, ex hac vita decessu delegante, ad hoc ut rescriptum sustineatur, sufficere, si ante ejus obitum ad minus per citationem pars in jus fuerit vocata, non est tunc supersedendum sed proseguendum iudicium.)

Quæ ab Auctore in prædictorum cap. concordantia præveniuntur, ad disparitatis harum decisionum inquisitionem multum proderunt: videbatur per consequens leg. 21. per 35. derogari: nullumque aliud requisitum præter citationem ad perpetuandam delegati jurisdictionem necessarium esse: verum, etiam si in ordine scripturæ una alteri antecederet, resistunt verbi Appellatio, pag. 157. post med. vers. Ubi discrimen: expostio: vid. etiam leg. 9. tit. 1. lib. 2. Recop. Cast. quare, licet abs dubio basis, fundamentum, & principium processus aut iudicii in jus nominetur vocatio, vide proammium tit. 7. p. 3. atque, postquam ea præcesserit, alterius fori propter domicilii mutationem, privilegium, vel peregrinationem demandatus esse coepit, in causa præventa jus forum leg. 12. ejusd. tit. 7. p. 3. revocandi non habeat, vel est sustinendum, citationem sufficere ad hoc ut delegatus procedat, aut a regia persona, utpote nulli nisi legum conditori compete leg. 14. tit. 1. part. 1. 2. tit. 1. part. 2. 4. tit. 33. part. 7. leg. 4. tit. 1. lib. 2. Recop. Cast. & leg. 1. Tauri, est speranda declaratio; nihilominus in hoc dissidio mihi videtur aliquam semitam (despicitur) non difficile interea temporis inquiri valere: ad huiusmodi opportunitatem pertingendam, erit advertendum, Primo per antecessentibus articulis animadversa notum esse omnibus leg. 19. tit. 4. part. 3. inter iudices delegatos, quia, sive a Principe, superiori non recognoscendo, designantur, sive ab aliis iudicibus ordinariis, constituitur discrimen: illo in casu subdelegare possunt delegati, fuerit vel non ante ipsos lis contestata: secus autem in isto; vid. add. hisp. verb. Arbitr. num. 19. Secundo, nulli esse permissum, nisi eis, quibus nominatim concedatur leg. 2. tit. 7. lib. 1. For. Reg. 18. tit. 4. part. 3. leg. 5. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. vid. præced. add. & verb. Clericus, vers. Consonant: verb. Forum, vers. Regem Catholicum: & vers. Nullus ambigit: usque ad vers. Quamquam: iudicum nominationes efficere: Tertio, per se patere in foro seculari præter supremum regni caput, supermatrem ejus tribunalia, a nemine posse similes fieri creationes, nam, quamvis, ut subdelegat. iustit. subdelegationes efficiant iudices a Principatibus iustit. prout in communi, nisi persone ordinarii subdelegatæ prout in communi, nisi persone ordinarii subdelegatæ fuerit electa, tamquam iudices considerantur documentum

nobis præbent Cuesus publici, horreique communis nostro idiomate de Cuesus, & Posterior-Subdelegati, quorum nominatio ad respectum superintendentem generalem pertinet: vid. Reg. Decret. 16. Mart. ann. 1751. Reg. Instr. 30. Maii ann. seq. 1753. §. 48. & Reg. Decret. 17. Aug. ann. 1756. Reg. Decret. 30. Jan. & 6. Febr. ann. 1762. Reg. Ordin. mens. Sep. ann. 1764. Reg. Sched. 29. Oct. ann. 1756. Reg.

Quibus omnibus præmissis raro aut nunquam præcitate determinationes in discussione venient, quippe, si a Principe, aut supremis eorum tribunalibus delegatio procedit, cum hæc corpora minime deficere valeant, supervacanea est disceptatio: præmaxime quando decet, Principis beneficium saltem ad vitam illius in cuius favorem concessum est, esse perpetuum, ideo per ejus mortem similia munera non extinguuntur leg. 2. tit. 2. lib. 2. Reg. Ordin. 24. tit. 2. lib. 7. quid. 2. tit. 3. lib. 2. Recop. Castell. animadvertens existit, jam hodie iudices ordinarios, etsi substituere videantur, add. hisp. cum leg. 20. tit. 4. 6. tit. 5. lib. 3. Recop. Cast. possint, delegare nequire; quapropter pro nunc casus, in quo de huiusmodi materia pertractetur in mentem non venit; erique casu obveniente considerandum, regiam voluntatem ad obvianda subditis præjudicia esse summo opere propensam; hac de causa, si citatio, vita funto delegante, præcessit, quamvis lis non fuerit contestata, videbatur, non male se gerere delegatum, incepta proseguendo; verum enim vero, cum parvum oriatur præjudicium, citatione solum effectum sortita, bene etiam poterat assentiri, hanc solam non sufficere ad in causa proseguendum; est argumentum hujus assertionis Reg. Schid. 10. Mart. ann. 1778. in qua tribunal designatur, ubi retrahendi actio est intendenda, & decernitur, ut causæ per litis contestationem inceptæ, ibi finienda: non contestatæ, ad tribunal signatum remittende; vid. add. hisp. verb. Venditio, ibique inveniri eam ad litteram prænotata sufficiant; a via non est deflexum: ideo juxta inserti qualitatem acceptionem mereantur.)

53 Tertio, cessat jurisdictioni, & officium delegati per cessationem delegantis ab officio, ut si ab eo sit depositus, re adhuc integra, seu jurisdictione nondum incepta (P. id. sup. in fin. num. 44.) Gloss. in cap. Licet 20. de offic. iud. delegat. verb. Re integra, circa finem. Abbas ibid. num. 7. Imola num. 25. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 18. num. 32. Pirhing lib. 1. decret. tit. 19. num. 161. Reiffenstuel ibidem num. 129. & alii: mors enim naturalis, & civilis æquiparatur, quando eadem subest ratio, ut in casu proposito. Quarto, si iudex delegatus, cui delegatio facta est a Principe supremo, intuitu dignitatis suæ, ab ea sit depositus, vel ei renuntiaverit, vel ad aliam dignitatem sit translatus, tunc si res adhuc integra sit, expirat jurisdictioni subdelegati ab ipsa Gloss. in d. cap. Licet, verb. Re integra, Layman ibid. num. 2. Imola ibid. num. 25. Pirhing loc. cit. num. 185. Et ratio est, quia non minus per depositionem a dignitate, vel renuntiationem ipsius, per translationem ad aliam, amittit delegatus jurisdictionem, quæ ipsi intuitu ipsius dimissæ, seu amissæ dignitatis delegata est, quam per mortem naturalem; ergo sicuti per mortem naturalem delegati, re adhuc integra, expirat jurisdictioni subdelegati, ita per mortem civilem, videlicet depositionem vel renuntiationem, vel translationem delegati, quæ æquiparatur morti naturali, cum tali dignitati dimissæ, seu amissæ, in qua fundabatur ejus jurisdictioni, censeatur jam mortuus. Si vero delegatus a Principe supremo sit facta ipsi delegatio intuitu persone, tunc, re adhuc integra, expirat jurisdictioni subdelegati, solum per depositionem delegati a dignitate; non autem per renuntiationem, vel translationem delegati ad aliam dignitatem; & ratio prioris partis est, quia jurisdictioni delegata, vel subdelegata, cum res adhuc integra est, censeatur potius pertinere ad delegantem, vel subdelegantem, ab eoque pendere, quam ad delegatum vel subdelegatum, adeoque si delegans, vel subdelegans deponatur a dignitate, vel aliis statim incompatibilem assumendo, jurisdictionem amittit, de consequenti venit, ut etiam in delegato, vel subdelegato jurisdictioni expiret,

cum non amplius possit talis jurisdictioni fundari in persona ipsius delegati, vel subdelegati; ratio vero posterioris partis est, quia si delegatus renunciet dignitati, vel ad aliam transferatur, nihilominus jurisdictionem retinet in ordine ad causam sibi inquit personæ commissam, & consequenter etiam in ejus subdelegato jurisdictioni permanere potest: Layman loc. cit. 3. Pirhing loc. cit. n. 185. & alii.

Quinto, jurisdictioni, & officium delegati expirat per revocationem delegationis suæ a delegante, vel ejus superiore factam, textu expresso in leg. iudicium 38. de iudiciis, ibi: Iudicium solvitur votante eo, qui iudicare iuraverat; vel eo etiam, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet; & sic tenet communis Doctorum. Princeps enim, seu quilibet iudex Ordinarius delegans potest delegationem suam libere revocare, non solum quando res adhuc est integra, & iudicium necdum coeptum est a delegato, sed etiam re non amplius integra, & iudicio a delegato jam coepo, ut recte probat Gloss. in cit. leg. iudicium ff. de iudiciis, dicens, proxime allegatum textum loqui in casu, ubi lis contestata erat, alioquin enim non esset iudicium: Layman in cap. Venerabili 37. de offic. & potest. iud. delegat. num. 4. & 5. Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 32. num. 6. Pirhing loc. cit. n. 195. Reiffenstuel loc. cit. num. 136. & alii passim. Delegans enim utitur jure suo, & quasi re propria; & in concessione jurisdictionis semper intelligitur excepta suprema potestas Principis, vel Superioris auctoritatis; arg. cap. Venientes 19. de iurjurando. Delegatus autem a Papa, seu ab alio Principe supremo potest revocare delegationem in totum a se alteri factam, solummodo quando res adhuc integra est, & iudicium necdum coeptum est a subdelegato; Est communis quod utramque partem. Ratio primæ partis est, quia jurisdictioni non censetur efficaciter transivisse in subdelegatum, nisi postquam eam exercere coepit, ut habetur expresse in cap. Quamvis 6. de offic. del. in 6. ibi: Cum jurisdictioni, ex quo ipsa usu non exstitit, non censetur in eum efficaciter transivisse: Ratio secundæ partis est, quia delegatus a Papa, seu ab alio Principe supremo, subdelegando alteri totam causam sibi commissam, nihil sibi de jurisdictione reservando; tunc re non amplius integra, & iudicio jam coepo ab ipso subdelegato, jam suo functus est officio, adeoque nequit amplius revocare talem subdelegationem, & commissam alteri totalem causam, seu in totum jurisdictionem, ut habetur expresse in cap. Venerabili 37. de Officio deleg. ubi Honorius III. declarat Archiepiscopum Cusentinum, cui delegaverat causam Episcopi Cephalodensis non potuisse revocare subdelegationem talis causæ in totum factam Abbati Panormitano, & cum iterum subdelegare Thesaurario Cusentino, ibi: Archiepiscopus ipse (cum jam suo functus esset officio, dicto Abbati committendo in integrum vicem suam) huiusmodi negotium dicto Thesaurario non potuit demandare. Si vero delegatus a Papa, vel ab alio Principe supremo, non totam causam subdelegavit, sed solum aliquam partem ejus, aliquid de jurisdictione sibi reservando, tunc poterit, re etiam non amplius integra, talem subdelegationem revocare; Gloss. in c. Super q. art. c. 27. de offic. del. §. Si vito, verb. Si vero, verb. Si non possunt, Barb. in cit. cap. Quamvis n. 6. Pirhing loc. cit. num. 140. Molin. trat. 5. de iust. disc. 21. num. 4. & alii. Et ratio est, quia delegatus Papa, seu alterius Principis Supremi subdelegans solum partem causæ, seu aliquid sibi de jurisdictione reservans, manet adhuc superior respectu talis causæ, cum respectu ipsius adhuc retineat jurisdictionem; Unde si a subdelegato appellari contingat, ad eum, & non ad Papam, seu Principem supremum appellari debet, textu expresso in cit. cap. Super questionum articulis 27. de offic. delegat. §. Porro, ibi: Cum autem sibi aliquid de jurisdictione reservat, si causa sit ei appellatione remota commissa, non ad nos, sed ad eum poterit de jure appellari; & in cap. Si Delegatus 7. eod. in 6. ibi: Ad rem quoque, qui vices suas committit, donec revocet, vel cui executionem sententiæ tantum, aut quicquid aliud de jurisdictione sibi reservat, non ad delegantem primum appellari debet, etiam si post sententiam fuerit appellandum.

- 60 Sexto, iurisdictione, & officium iudicis delegati cessat lapsu prefati sibi temporis; cap. De causis 4. & cap. Consultu 24. de offic. & potest. iud. delegat. Tunc enim iurisdictione non nisi limitata, seu ad tale tempus delegata censetur, adeoque tali tempore elapso expirat etiam iurisdictione, & officium delegati solummodo ad tale tempus; Est communis. Septimo, iurisdictione & officium delegati cessat finito negotio, ad quod iudex datus fuit; c. In literis 9. de offic. & potest. delegator. Semel ac enim, sive bene, sive male functus est officio, desinit esse iudex; leg. iudex ff. de iudic. adeo ut nequeat amplius se se interponere tali causae, seu negotio, quia (ut dicitur textus in cap. Cum literis) ex quo iudex delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari precepit, eius auctoritas, & iurisdictione cessat, quia tunc est officio suo functus; Est communis. Octavo, iurisdictione, & officium delegati cessat recusatione legitime proposita, & pronunciata super eo sententia, quod iudex delegatus sit suspectus; cap. iudex 5. de offic. delegat. in 6. & concordant cap. Causam 17. cap. Insinuantem 25. & cap. Suspensions 39. de offic. & potest. iud. delegat. cap. Licet 10. de iure competens. cap. Ut debitis 59. de appellacione. cap. Quid suspecti 15. caus. 3. quest. 5.
- (Iterum repete que sup. inseruntur, etiamque retine noviter addita art. 10. in fin. verb. Appellatio, pag. 179.)
- 63 Multa sunt, quae a Jure Pontificio generaliter delegata sunt Episcopis; Inter autem nosse, & quidem ad plures effectus, quando Episcopus in his vere procedat uti delegatus S. Sedis, & quando procedat uti Ordinarius. Ut enim aliquos afferamus effectus, priori casu, non ad Metropolitanum, sed ad Summum Pontificem appellandum est; at posteriori casu interponenda est appellatio ad Metropolitanum, Fagnan. in cap. Ad audientiam num. 47. de edific. eccles. Preterea priori casu defuncto Episcopo, in ea Capitulum regulariter non succedit, succedit vero posteriori casu; Leuren. de Vicar. Episc. tract. 4. cap. 1. quest. 461. per tot. Vide & alium effectum in add. in Ver. Conventus art. 2. num. 8. & duob. sequenti.
- 66 Ad dijudicandum autem, quando in mox dictis Episcopis procedat tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, & quando tamquam Ordinarius, hæc attendenda sunt.
- 67 I. Si agatur de actu, qui minime cadebat sub iurisdictione ordinaria Episcopi, non continuo pronuncian- dum est, procedere Episcopum ex delegatione Sedis Apostolicæ; sed videndum, utrum verba Auctoritate Apostolica conjuncta sint cum verbo Concedimus, vel simili, an cum verbo Facias, vel simili. Si conjuncta sint cum verbo Concedimus, extensa potius dicitur iurisdictione ordinaria Episcopi ad actum illum; sint autem conjuncta sint cum verbo Facias, delegata censeri debet a S. Sede particularis illa iurisdictione; Garzias de Benefic. 11. part. 5. cap. 7. num. 50. Leuren. de Vicar. Episc. tract. 3. cap. 1. quest. 461. num. 3.
- 69 II. Si res sit de actu, quem ordinaria Episcopi iurisdictione complectebatur, non obstantibus quibuscumque verbis importantis delegationem, dicitur Episcopus procedere qua Ordinarius, quum facta ea dicatur ad firmiorem reddendam iurisdictionem ipsius Episcopi. Hæc vero delegatio fieri a Summis Pontificibus solet cum verbis huiusmodi Auctoritate etiam Apostolica; nam particula illa, Etia, est implicativa iurisdictionis ordinariæ; Fagnan. in cap. His, quæ, num. 56. de major. & obed.
- 71 III. Si tractatur de actu, qui comprehendebatur utique olim sub iurisdictione ordinaria Episcopi, sed postea privilegio fuit exemptus, regulariter procedere dicitur Episcopus, ut delegatus Apostolicæ Sedis; Fagnan. in cap. Ad audientiam num. 46. de edific. eccles. Dico regulariter, nam nonnumquam Summi Pontifices submotu obstruunt exemptionis, restitunt ordinariam iurisdictionem; ut quum nullis utuntur verbis continentibus delegationem: Exemplum habes in decretis de celebratione missarum editis a S. Congregatione Concilii interprete, & approbati a san. mem. Urbano VIII. In iis enim, ut dictum est in add. ab verb. Conventus art. 2. num. 7. conventus postea fundandi, qui carent duodecim Religiosis, sumto privilegio exemptionis, restituti dicitur debent

pristinæ ordinariæ iurisdictioni Episcopi, propterea quod nullum occurrit verbum continentis delegationem. Hactenus de delegatione a Jure.

Quod attinet ad delegationem ab homine, ad illustrationem regulæ firmatæ ab Autore num. 18. quod delegatus a Principe regulariter potest subdelegare, non importune queritur an delegatus ab aliqua Sac. Congregatione Urbis dici queat delegatus a Principe ita ut possit subdelegare? Affirmare videtur Rota in Casenaten. Prelationis 4. Maii 1755. §. Cetera, coram Illustrissimo Causar. Alm. Urb. Gubernat. & in acerimo partium contradictorio admissum fuit a Sac. Congregatione Concilii interprete in Larinen. Decimarum 10. Maii 1755. & in confirmatoria Decembris ejusdem anni 1755.

Nec incongrua est questio illa, an delegato Vicario Generali, delegatus etiam dici debeat successor in eo officio. Negant nonnulli ea de ratione, quod Vicarius Generalis ut pote dependens ab arbitrio Episcopi proprie non dicitur habere successorem. At prævaluit affirmativa sententia; propterea quod hodie Vicarius Generalis dicitur habere successorem attenta ea, quæ ubique gentium invaluit consuetudine regendi Dioeceses per Vicarios Generales; Zypæus far. Pontific. nov. lib. 1. de offic. deleg. num. 3. Genuens. in Praxis Curie Archiep. Neapolit. cap. 85. num. 1.

De iurisdictione delegata, an ea partium consensu tum expresso, tum tacito prorogari queat de loco ad locum, necnon de tempore ad tempus; confer Carleval. de iud. lib. 1. tit. 1. disp. 3. quest. 8. rest. 1. & 2. Boceri. de iurisd. cap. 6. num. 62. D.

DENUNTIATIO quoad delicta spectantia ad S. Officium.

SUMMARIUM.

1. Affertur in primis editum universalis supremæ Inquisitionis Romanæ.
2. Ex tali edito denuntiandi sunt heretici, & suspecti de heresi, schismatici, eorumque fautores.
3. Heretici evidentiter cogniti tales denuntiandi sunt, quomodo probari non possunt.
4. Item denuntiandi sunt superstitiones, si sua superstitione sit cum expressa, vel tacita demoni invocatione, & sit mortalis peccamentosa.
5. Item denuntiandi sunt doctores, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, & proferentes aliquam ex gravibus propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint tales propositiones remissive.
6. Item denuntiandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in confessione &c. & frangentes sigillum confessionis.
7. Item denuntiandi sunt sacra scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus, & huiusmodi.
8. Denuntiandi sunt tamen omnes, & singuli, quos denuntiandos esse præcipit editum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ, & edita particularium Inquisitionum, seu Ordinartorum cuiusque respectivo dioecesis.
9. Ad denuntiandum ex vi edictorum tenentur omnes, & singula persona sive maris, sive mulieres plenum, & perfectum rationis usum habentes, sive regulares, sive moniales, & regulares cuiuscumque gradus, ordinis &c.
10. Affertur ad id editum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ.
11. Hinc sub talibus editis tam quoad denuntiationem activam, quam passivam, comprehenduntur regulares omnes, etiam generales.
12. Item etiam Cardinales, Duces, Reges, & Imperatores, licet contra ipsos non soleat procedi, nisi consulto Summo Pontifice.
13. Filius tenetur denuntiare patrem hereticum, & pater hereticum filium, etiam non dogmatizet. Et a for-

- tori ad id tenentur uxor, maritus, frater, soror, & alii conjuncti.
14. An quæ dicta sunt de ipsis formaliter hereticis, dici debeant etiam de ipsis solum de heresi suspectis, ad num. 15.
 16. Hereticus, aut suspectus de heresi non tenetur denuntiare se ipsum, nisi quando interrogatur ut reus ad iudicem.
 17. Item hereticus socius criminis non tenetur denuntiare complicem, nisi quando juridice interrogatur.
 18. Catholici non tenentur denuntiare hereticos in locis illis, in quibus sunt permixti, id scientibus Episcopis, & Inquisitoribus.
 19. Obligatio denuntiandi formaliter hereticum perseverat adhuc post mortem ipsius heretici.
 20. Immo obligatio denuntiandi formaliter hereticum jam mortuum, perpetuo durat.
 21. Obligatio autem denuntiandi alios reos quantumvis debementer de heresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium.
 22. Viget obligatio denuntiandi hereticum, quomodo credatur jam emendatus.
 23. Viget obligatio denuntiandi delinquentem, etiam si statim post commissum delictum peniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam adinventam & deliberationem ad sic delinquentem.
 24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, & honore non liberat ab obligatione denuntiandi formaliter hereticum, etiam non dogmatizet.
 25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denuntiandi solum suspectum de heresi.
 26. Licet quis, aut quæ semel tantum malefictum, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denuntiare.
 27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad heresim, est a Confessario denuntiandus, & cetera ad idem concernentia, ad num. 43.
 44. Utrum Confessarius absolvere debeat penitentem priusquam denuntiationem effecerit: & quæ obligatio circa primos in præsentia materia; ad num. 55.

AFFERTUR in primis editum Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, ut sequitur.

Noi &c. per la misericordia di Dio, della S. Chiesa Romana Cardinali in tutta la repubblica christiana contra l'heretica pravità Generali Inquisitori dalla S. Sede Apostolica specialmente deputati.

Essendo noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobedienza, altri per ignoranza non soddisfanno all'obbligo, che hanno di denunciarci al Sant'Officio li delitti spettanti ad esso, & che per ciò succedono grandissimi inconvenienti, ed errori, non solamente contro i buoni, & christiani costumi, ma ancora contro la fede cattolica; Noi per tanto, a' quali specialmente deve essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, ed aumento della fede cattolica, & la salute dell'anime, volendo provvedere a tanto disordine, con autorità apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di santa ubbidienza, & pena di scomunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' sacri canoni, decreti, costituzioni, & bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente edito a tutte, & a ciascuna persona di qualunque stato, grado, condizione, & dignità, così ecclesiastica, come secolare, che fra il termine di un mese, dieci, de' quali per il primo, dieci per il secondo, & dieci per il terzo termine perentorio, si debbano rivelare, & giuricamente notificare al S. Offizio, ovvero agli Ordinarij, tutti e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, & abbiano avuto, & avranno notizia.

Che siano eretici, & sospetti, & diffamati di eresia, & credenti fautori, & ricettatori, & difensori loro, & abbiano aderito, & aderiscano a' riti de' giudei, & mao-mettani, & de' gentili, & abbiano apostatato dalla santità fede christiana.

Che abbiano fatti, & facciano atti, da' quali si pos-

sa argomentare patto espresso, & tacito col demonio, esercitando incanti, magie, sortilegi; porgendoli suffumigi, incensi per trovar tesori, ed altri intenti, chiedendo da lui risposte, & invocandolo, ed a questo effetto promettergli obbedienza, & consacrargli pentacoli, libri, spade, specchi, & altre cose, nelle quale intervenga il nome, & opera sua.

Che si siano ingeriti, & ingeriscano in far esperimento di negromanzia, & di qualsivisia altra sorte di magia con entrare ne' circoli, far l'esperimento della Caraffa, del Crivello, per trovar i medesimi tesori, & cose nascoste rubate, & perdute, & fare altri simili, & superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso de' sacramenti, & di cose sagre, & benedette.

Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino eresie & libri eretici, che trattino ex professo di religione, & che gli abbiano letti, & tenuti, & stampati, & fatti stampare, & li leggano, tengano, stampino, facciano stampare, introducano, difendano sotto qualsivoglia pretesto & colore.

Che abbiano libri di negromanzia, magia, & continenti incantesimi, sortilegi, & simili superstizioni, massime con abuso di cose sagre.

Chi contro il voto solenne fatto nella professione in qualsivoglia religione approvata; & dopo aver preso l'ordine sagro, abbia contrattato, & contragga matrimonio.

Chi vivendo la prima moglie, pigli la seconda, & vivendo il primo marito, pigli il secondo.

Che contro i decreti, & costituzioni apostoliche abbiano abusato, & abusino il sacramento de la Penitenza, servendosi de la confessione, & confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, non convenienti al fine, per il quale è stato instituito.

Che abbiano proferito, & proferiscano bestemmie heretiche contro Dio, la Beatissima Vergine, & Santi, & procedino a qualche atto di offesa, & disprezzo contro l'Immagini, & figure rappresentanti il medesimo.

Che abbiano tenute, & tenghino occulte conventicole, radunanze in pregiudizio, disprezzo, & contra la religione.

Che abbiano indotto qualche christiano ad abbracciare il giudaismo, & altra setta contraria alla fede cattolica, & impedito i giudei, & turchi a battezzarsi.

Che non essendo ordinati Sacerdoti s'abbiano con sacrilegio ardite usurpato, & si usurpino di celebrare messe, ancorchè non abbiano proferito le parole della consecrazione, & abbiano presunto di ministrare il sacramento della Penitenza a' fedeli di Christo, ancorchè non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.

In oltre si dichiara, che quelli, i quali non dinunciaranno, comi si ordina col presente edito, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal S. Officio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato li delinquenti, al che non possono soddisfare con bollettini, & lettere senza nome, & cognome dell'autore, & altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che con la suddetta espressione de' casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si escludano gli altri casi spettanti al S. Officio, che per altro sono compressi ne' sacri canoni, costituzioni, & bolle de' Sommi Pontefici, nè meno col presente edito s'intenda derogato all'altre provisioni canoniche apostoliche, ed agli altri editi degli Ordinarij, ed Inquisitori.

Ed a fine che del presente edito non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per li luoghi soliti di Roma, & si notificati alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non son Inquisitori, acciò lo pubblichino, ed ordinino, che li parrochi delle loro diocesi lo leggano ogni anno la prima Domenica dell'Avvento, & la prima Domenica di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si faccia datti parrochi, & rectori di Roma nelle loro chiese in tempo, che si trovano in esse congregato il popolo, & poi farne attaccare